



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 4. An per illud tribuator corporis sanitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

menti, videri etiam potest esse licitus in casu necessitatis, quia necessitas caret lege: vnde ob necessitatem licet omnem ritum accidentalium omittere: totum autem id, quod substantiale non est, ad accidentalem ritum pertinere videtur. Quod ergo hic modus ministrandi hoc sacramentum non sit in ritu Ecclesie, solum probat non licere vti illo sine necessitate urgente: quia consuetudo solum habet vim cuiusdam legis, & adeo propter necessitatem licere potest ab illa discedere. Dices etiam in necessitate non solet hoc fieri. Respondeo primum id oriri ex vario iudicio ministrorum, qui frequentius non sunt homines docti, neque in hoc solum per Ecclesiam specialiter instructi: quia leges morales non sunt pro casibus valde extraordinariis positae. Deinde addo: non omnino carere sententiam hanc auctoritate, & consuetudine. Nam in lib. Pastoralis, seu Manuali Mechliniensis, can. 9. de Extrema vnctione, ex consilio, & sententia facultatis Theologicae Louanienfis ita dicitur: *In morbo contagioso, & peste grassante, vbi periculum vitetur, sufficit mungi sensus organum magis ad vnctionem expositum, aut detectum, dicendo: Per ista sanctam vnctionem, & suauissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum tactum & gressum. Et tunc preces, quae praemittenda, & subiungenda forent, poterunt in Ecclesia coram venerabili sacramento deuote legi. Et huic sententiae subscribitur Archiepiscopus Mechliniensis, Decanus vniuersitatis, & professores Theologi Louanienfes anno 1588. mense Septembri: & ferunt in more esse introductum in regione Belgica. Eset autem hac sententia verisimilior, si quemadmodum in forma expresse numerantur omnes sensus, ita per vnctionem omnes in propriis organis attingerentur: quod in solo capite breuissime fieri potest modo à nobis declarato: nam quod de gressu additur in forma, necessarium non est, licet non impediat: reliqua vero in forma videntur substantiabilia, & ideo necessarium videtur, vt in materia proxima aliquid cum proportione respondeat: tum quia materia debet esse proportionata formae, tum etiam quia ex visu Ecclesiae non minus habemus esse necessariam vnctionem quinque sensuum, quam expressionem eorum in forma. Hac ergo sententiam hoc modo explicatam, improbare non possum: sed nec simpliciter approbo, sed aliis iudicium committo. Neque etiam simpliciter consulo vsum eius absolute loquendo: quia securus est consuetudinem seruare. Si tamen omittendum est hoc sacramentum: quia scilicet nullus vult illud ministrare modo ordinario propter periculum contagii, vel quia morale periculum est, vt in infirmo antea moriatur: consulerem omnino ita inungere sub concepta conditione, potius quam omittere: quia tunc nec fit irreuerentia sacramento: & proximo valde vtile esse potest. Nam fortasse ita saluabitur, & alias condonabitur: si fortasse est tantum attritus, & confiteri non potuit, vel per ignorantiam non rite confessus est: cui ergo sic confessio possit prodesse, & non obesse, quia supponimus non posse aliter dari, omittendum omnino non est, sicut in similibus casibus saepe alias diximus.*

SECTIO III.

Vtrum sacramentum hoc etiam sanitatem corporis aliquando tribuat.

Communis consensus Theologorum est, etiam corporis sanitatem ad effectus huius sacramenti pertinere, atque adeo aliquando virtute illius conferri: quod etiam de fide certum est, ac definitum in Concilio Florentino, & Trid. saepe citatis, sumiturque ex locis Iacobi 5. vel illis verbis. *Et ratio fidei saluabit infirmum, vel illis, Et alleuiabis eum Dominus: vtraque enim possunt tam ad animum, quam ad cor.* Fr. Suarez tom. 4.

Apus accommodari, priora vero communiter intelliguntur de salute corporis, quae opponitur infirmitati corporis, de qua ibi ad litteram sermo erat. Etiam intellexerunt D. Thom. Bonauen. & alii, cum Magistro in 4. d. 23. Hugo libr. 2. de Sacramentis p. 15. capit. 2. Quia vero sanitas corporis non est bonum per se necessarium homini, sed est inferioris ordinis, atque ex his, quae interdum ad bonum animae expediunt, interdum vero minime, ideo promissio illa non intelligitur esse absoluta, sed sub ea conditione, quam Concilium cap. 2. expressit, *vbi saluti animae expedierit.* Quamvis enim Iacobus hanc conditionem diserte non posuerit, ex natura tamen talis effectus subintelligebatur comprehensa. Vnde D. August. Epist. 121. capit. 12. & libr. 2. de ferm. Domini in monte capi. 12. & 24. sub simili conditione, vel expressa, vel subintelligita dixit, *haec bona esse à Deo impetranda.* Quo fit, vt effectus hic absolute sumptus non sit infallibilis in hoc sacramento: quia fieri potest, vt illa conditio non subsistat: illa vero posita, erit infallibilis: quia iam promissio transit in absolutam. Posteriora autem verba, etiam videntur à Concilio Tridentino referri ad corporis lenam, dum inquit, *Aegroti animam alleuiat, & confirmat, magnam in eo diuinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus subleuatur, & morbi incommoda & labores leuius fert.* Hic ergo effectus distinctus à corporis sanitate: nam illa etiam non recuperata saepe contingit vt morbus ipse leuior appareat, faciliusque tolleretur, & in hoc effectum Concilium non ponit conditionem, quam in precedente posuerat, vnde significat magis absolutam esse eius promissionem.

In vtroque vero nonnulla superest difficultas: in priori quidem: quia experimur saepe restitui sanitatem his, qui postea in detrimentum animarum suarum illa vsuri sunt, & conuerso vero saepe negari his, qui non solum recte & honeste victuri sunt, sed etiam magnos fructus spirituales producturi, quantum moraliter coniectare licet. Deinde, vix potest intelligi illa conditio: aut enim intelligenda est secundum sufficientiam, aut secundum efficaciam, vt scilicet. Priori modo vita expediet ad salutem animae: quia de se confert, & sufficiens est ad proficiendum in spiritualibus bonis, & ita conditio semper implebitur, eritque semper explenda promissio, & sanitas restituenda. Posteriori autem modo solum dicitur id expedire, quando Deus prouideret talem hominem, si sanitatem recuperet corporis, maiorem etiam animi perfectionem esse consecuturum: videtur autem hoc inconueniens: tum, quia effectus sacramenti non debet esse pendens ex huiusmodi praesentia DEI, quae est valde extrinseca ad merita & dispositiones hominum: tum etiam, quia alias quoties prouideret DEVS homini profuturam salutem ad bonum animae, illam necessario conseruaret ex vi sacramenti, & consequenter, si de aliquo semper id praesentiret, vt fieri potest, talis homo semper viuere. Circa secundum vero punctum est difficultas: quia quaecumque remissio morbi est ex honis inferioris ordinis, quae possunt expedire animae, ergo illius promissio non potest esse absoluta. Vnde etiam constat experientia, hoc corporis ac morbi leuamen non semper conferri, aut sentiri post hoc sacramentum susceptum: non est ergo certus & infallibilis effectus.

Propter priorem difficultatem Soto. d. 13. q. 1. art. 2. post 2. conclus. praedictam reiecit conditionem, putatque non semper restitui sanitatem corporalem, etiam tunc, quando bono animi expediat: tum propter obiectiones factas: tum etiam, quia haec sanitas non est medium necessarium ad illum animi profectum: tum denique quia alias saepius esset opus miraculo: tanta enim solet esse morbi iniquitas, vt sine miraculo vinci non possit: effectus autem sacramenti non est per miraculum expectandus. Addit deinde, hunc effectum.

Yy 3 effectum.

Obiect. Soluuntur.

Magist. Hugo.

August. Hunc effectum non esse infallibilem.

Difficultas.

Soci placitum.

effectum, quantum per hoc sacramentum conferatur, esse absolutum & infallibilem: quia eius effectus immediatus non est sanitas ipsa in se, sed est auxiliū ali quod ad sanitatem recuperandam, quod auxiliū in certa quantitate & proportione datur, & sic est infallibile, non tamen semper sufficit ad sanitatem præstandam, sicut ars medici etiam iuuat, non tamē semper sufficit, ppter magnā morbi vim. fieri autē potest (inquit) vt ars, & solertia peritissimi medici plus iuuet, quam virtus sacramenti: & ideo licet infallibiliter iuuet, non tamen infallibiliter restituit sanitatem. Sicut etiam effectus Confirmationis dicitur esse fortis fidei confessio, & in hoc sacramento victoria tentationum potest dici effectus eius, neuter autem est infallibilis: quia non immediate & in se datur, sed in auxilio, quod interdum non est efficax propter magnitudinem passionis, vel tentationis, &c. Reprehendit ergo Soto in hoc puncto communem doctrinam, quam præcipue Hugoni attribuit, & consequenter tacite reprehendit Concilium Florentinum, cuius mentionem facit, dicitq; Concilium non dixisse hoc tanquā articulum fidei, sed alludendo ad doctrinā Hugonis. De Conc. vero Trid. nihil dicit: nec mentionem eius facit in illo tamē aduerteri potest, quod licet in doctrina capitulorum idē dixerit de sanitate corporis, in definitionibus vero canonum solū dēnit, sacramentum hoc dare gratiam, remittere peccata, & alleuiare infirmum.

Refutatur. Nihilominus temere loquutus est Soto ne quid grauius dicam: leui enim fundamento à recepta Theologorum sententia recedit: &, quod grauius est contra expressam doctrinam Conciliorum loquitur. Et præterea id totum, quod affirmat gratis & sine vilo testimonio affirmat, quod valde temerarium est in re supernaturali, quæ pendet ex diuina promissione. Vnde enim illi constitit, hoc sacramentum dare semper hoc genus auxiliij ad corporis curationem, cum etiam tale auxiliū pertineat ad bona inferioris ordinis, quæ non semper animæ profunt? Sacramenta vero nihil conferre debent infallibiliter, nisi quatenus ad bonum animæ professe possunt, cum propter hunc finem primario instituta sint. Deinde indigne videtur sentire de sacramento, non plus illi tribuens, quam medicinæ, seu arti medici. Tandem exempla, quæ offert non sunt similia: nam fortis fidei confessio, vel constans resistentia tentationis est opus humanum pendens ex hominis liberate, quam gratia non tollit: & ideo fieri potest, vt talis effectus non sequatur virtute sacramenti, etiam si magnum auxiliū ad illum præbeat. At vero sanitas corporis naturali modo fit, id est, non libero, & ideo, quod effectus non sequatur, tribui non potest nisi imperfectioni virtutis, quæ morbi acerbicatem superare non potest, hoc autem indignum est vt de sacramento dicatur: alioqui cum virtus, quam confert, limitata sit ad certum gradum, nunquam vincere poterit grauiorem morbum, etiam si maxime expediat, quod absurdum est.

Vera doctrina & solutio obiectio nis Soti. Perstendum est ergo in communi & sana doctrina proposita. Et ad obiectionem Soti facillime responderetur, liceat salus corporis non sit simpliciter necessaria ad animæ profectum, interdum vero esse vtilem, & hoc satis esse vt per sacramentum conferatur: eo vel maxime, quod vita est simpliciter necessaria ad meritum: & ideo nihil mirum quod virtute sacramenti conferretur contra vim morbi acerbissimi. Quod vero hoc sit aliquo modo miraculosum, id est, supernaturale, & præter omnem spem in causis naturalibus nixam, nullum est inconueniens, sed omnino verum, imo hic est vnus ex finibus huius sacramenti: quia vero hoc opus iam non est omnino præter leges à Deo statutas, sed iuxta eas, quæ in talis sacramenti institutione includuntur intrinsece, ideo talis effectus iam

non censetur miraculosus, sicut nec transsubstantiatio panis, & similes, sicut ipse Soto paulo ante responderat. Neque etiam obstat quod aliqui post receptum hoc sacramentum sanitatem recuperent, qui male postea illā vtuntur: tum quia non constat illos recuperasse sanitatem virtute huius sacramenti, neque enim omnes, qui vnguntur, habent desperatam salutem virtute naturali, neque è conuerso omnes, qui sanantur post vñctionem per sacramentum sanantur: tum etiam: quia fieri potest vt sanitas illa pro tunc spirituale fructum secum attulerit, quem postea superuenientibus aliis occasionibus homo amittat: neque enim necesse est, vt salus animæ, ad quam Concilium Trident. dixit sacramentum hoc esse profuturum, futura sit permanens, ac in re ipsa perpetuo duratura: sed satis est, quod ex illo effectu sacramenti quoad salutem corporis, iuuandus sit homo ad salutem & bonam animæ, licet forte in eo non sit perseveraturus. Simili modo responderetur ad aliud membrum iunctis, qui moriuntur non obstante vñctione, quando amplius fortasse essent profecturi: nam in primis dicimus hoc esse incertum, & sine fundamento affirmari. Deinde addimus, fortasse alij rationibus id non expedire illis: quia postea mutarentur, & melius illis est statim euolare. Vnde ad dilemma factum à nobis vnico verbo respondendum est, hæc rationem conuenientia seu vtilitatis corporalis sanitatis ad bonum animæ, sicut edam esse iuxta ordinem diuinæ sapientia, & prouidentia. Necesse est quippe est illam conditionem intelligi secundum efficaciam, vt ratio probat, id est, vt cum effectu futura sit expediens sanitas corporis ad sanitatem animæ, hoc autem solus Deus ex se præscire potest, & ideo necesse est vt hoc pendat ex præscientia, quæ licet sit extrinseca, non tamen impertinens ad hoc effectus, cum sit eorum causa. Vnde Concilium Colonien. se anni 1536. p. 7. ca. 49. solum hæc conditionem posuit, *Si Deo ita visum fuerit*, quæ iuxta dicta à nobis explicanda est. Quantus ergo, & qualis esse debeat ille fructus, qui speratur, Deus ipse nouit, mensuram enim aliquam habet, ea vero est secundum ordinem à Deo ipso statutum ac præstitum, nullo enim alio modo præscribi potest.

Ad alteram difficultatis partem dicendum est, aliud esse morbum corporis remitti in se, aliud vero ipsum ægotū confortari & iuuari, vt labores morbi leuius ferat: illud prius non pertinet ad infallibilem effectum huius sacramenti, vt ratio facta probat, sed sub corporis sanitate continetur: quia eo modo quo sacramentum hoc restituit sanitatem integrā, quando expedit, ita etiam restituit tantum ex parte, si illud & non amplius expediens fuerit. Neque Concilium in illis prioribus verbis de hæc remissione morbi locutum est, sed de ferendis facilius morbi laboribus, quod secundo loco proposuimus: fitque non remittendo morbum, sed confortando infirmum per mentis hilaritatem, ac fiduciam, vt Trid. aperte dixit. Vnde quoad hunc effectum recte dicitur, esse absolutum, & infallibilem quoad auxiliū, in quo, seu per quod datur: quia reuera est spiritualis effectus: quoad tolerantiam vero, seu leuamē laborum non esse infallibilem, vt in vltima confirmatione probatur: quia pendet ex libera cooperatione infirmi, ratione autem liberi vsus semper potest impediri effectus sacramenti, qui ab illo pendet, quantumuis spiritualis sit.

Tandem ex his constat quomodo ip hoc sacramento distingui possint illa tria, quæ in ceteris sacramentis distingui solent, scilicet, sacramentū tantum, de quo iam satis constat quid in presenti sit: & res tantum, quæ est gratia sanctificans, & remissio peccatorum: & res ac sacramentum simul, quod difficile videtur inueiri in hoc sacramento: & ideo multi in illo explicando solliciti non sunt, nec

Cens. Cels. inq.

Sola
min
ter
cap
hui
ora
CorDis
AveAl
vita7
Sacram
tum & r
sacramen
& r
que sim
declarat

puant

putant inconueniens, si nō inueniatur: quia illa partitio nec in generali ratione sacramenti intrinsece fundata est, nec alia necessaria ratione, aut auctoritate constat. Vt autem feruetur proportio ad alia sacramenta (omissa opinione de ornatu, quæ improbabilis semper mihi visa est) aliqui censent ipsam corporis sanitatem esse rem sacramenti quatenus ab illo fit, & sacramentum aliquo modo: quia sanitatem animæ significat. Nec putant inconueniens non esse infallibilem effectum, quia satis est quod sacramentum ex se possit illum conferre, si expeditur. Alij ipsam mentis hilaritatem & confortationem, maioremque sustinentiam laborum, dicunt rem sacramenti, quatenus ab illo manat, esseque signum interioris animæ sanitatis, & vt sic esse aliquo modo sacramentum. Et hæc est D. Thomæ sententia, & cōmuniō.

DISPUTATIO XLII.

De subiecto cui dandum est hoc sacramentum.

Post effectus huius sacramenti sequitur dicendum de causis eius: & quoniam de finali simul cum effectibus actum est, formalis autem hic nulla, est alia præter formam sacramenti quæ supra declarata reliquimus: solum superest vt de materiali, & efficiente dicam. Materialem autem hic vocamus, non materiam ex qua sacramentum conficitur, hæc enim iam est expedita: sed subiectum in quo sacramentum recipiendū est, illud enim per modum materiz in qua, seu circa quam ad totum sacramentum comparatur, & ab illo sacramentum in suo esse pendet, ideoque merito inter eius causas computatur. De hac ergo causa considerabimus in præfenti disputatione, videbimusque prius de subiecto quasi totali & integro, & aliquo modo remoto, quod est ipsa persona, deinde de subiecto propinquiori, quod est pars talis suppositi.

SECTIO I.

Vtrum solus homo baptizatus ratione vtens possit hoc recipere sacramentum.

VT à clarioribus incipiamus, certum est solum hominem viatorem, atque adeo in hac mortali vita degentem, esse capax huius sacramenti. Hoc constat ex principio generali de sacramentis in genere. sacramenta enim pro viatoribus instituta sunt, qui sunt capaces medicinæ, vel augmenti gratiæ, nō pro alijs, qui iam sunt in termino. Hinc docet Theologi omnes, si infirmus iam sit mortuus, vngendū non esse cadaver eius, iam enim non fiet sacramentum, nec illa vnctio quidquam anime proderit. Vnde vnctio illa, de qua Dionysius Areopagita mentionem facit in fine libr. de Eccles. Hierarch. quæ circa corpora fidelium defunctorum fieri solebat, vt ad sepulturam præpararentur, sine dubio non erat hoc sacramentum, neque aliud, sed ceteronia aliqua pia, quæ à fidelibus tunc retinebatur, fortasse ad imitationem eorum, quæ in lege veteri fieri solebat quæ circa corpus Christi Domini in Euangelio facta esse legitur. Vnde vterius infertur, quando dubium est an fidelis vere sit mortuus, nec potest veritas omnino explorari, ac merito timetur ne dū exploratur veritas, moriatur, dari posse & debere hoc sacramentum sub cōditione, aut verbis expressa, aut mente concepta, si non est mortuus. Generale enim omnibus sacramentis est, vt in casibus dubijs possint hoc modo ministrari: nam per adiunctam

A conditionem tollitur omne periculum irrogandi iniuriam sacramento: & ministrando sacramentū illo modo vitatur periculum priuandi proximum magno subsidio, & remedio suæ salutis, cuius fortasse adhuc capax est: ideoque in hac doctrina omnes Summi & Theologi conueniunt.

Secundum est certum, hoc sacramentum tantum dari posse homini baptizato ad ultimum ætatis, ita vt rationis vsum habeat, vel aliquando habuerit. Hæc etiam assertio communis est. Et prima pars clara est ex generali principio de Baptismo, & sacramentis, vbi ostendimus baptismum esse ianuam sacramentorum, eiusque characterem comparari vt potentiā passiuam ad receptionem sacramentorum omnium, quare indubitatum est hoc esse de substantia sacramenti, ideoque vnctioem sub forma verborū factam à sacerdote, circa hominem non baptizatum in re ipsa, etiam si sit baptizatus in voto, & catechumenus, fidelis, ac iustus, inanem, nullumque sacramentum esse, aut effectum eius habere. Vnde Concilium Trident. sess. 4. in principio de hoc sacramento, ait, esse consummatum penitentia, & totius Christianæ vitæ: supponit ergo necessario Christianam vitam inchoatam, at hæc inchoabatur in Baptismo, vt constat: ergo.

Atque ex eiusdem Concilij verbis potest altera conclusio pars confirmari, in qua Theologi etiā dist. 23. conueniunt, dicentes, infantes non esse capaces huius sacramenti. Vno excepto Matore, qui quædam consuetudinem, & contra rationem: quia sicut isti infantes non sunt capaces penitentia, ita neque huius sacramenti, quod est consummatum penitentia, vt dixit Concilium. Item: quia in illis nondū est Christiana vita inchoata: quia hæc vita, iuxta Concilij mentem, in rationali actione consistit: subdit enim, quæ scilicet vita, perpetua penitentia esse debet. Tandem id patet ex fine huius sacramenti supra posito, & ab ipso Concilio declarato, institutum enim est propter luctum, & grauissimas tentationes articuli mortis, ad confirmandum infirmum hominē, & exhilarandum illum, ac recreandum eius animū molestiis ægritudinis oppressum, atque adeo ad superandam debilitatem ex peccato relictam, vel conferendam etiam remissionem actualium peccatorum, si necessaria sit: quorum omnium non est capax infans quia nec tentari potest, nec resistere, &c. non est ergo subiectum capax huius sacramenti. Denique hoc sumi potest ex verbis Iacobi, dum enim ait, Si in peccatis estis, dimittentur ei, aperte loquitur de actualibus peccatis: supponit ergo hominem vngendum debere esse capax actualis peccati. Item dum ait, Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesie: significat ipsummet infirmum debere petere hoc sacramentum, vel eius susceptioni consentire, quod facere non potest, nisi qui ratione vtitur. Quæ omnia æque procedunt in illis, qui nunquam rationis vsum habuerunt, vt perpetuo amentes, qui in infantibus comparantur quoad omnia, ex sententia omnium, sæpius in superioribus pertractata.

Dicet vero aliquis, in infantibus, vel amentibus sunt reliquæ peccati originalis, contra quas etiam hoc sacramentum datur. Item est mortis periculum, vnde potest hoc sacramentum eis esse vtile ad sanitatem corporis recuperandam, ac denique ad augmentum gratiæ obtinendum. Respondetur, hoc sacramentum non tollere reliquias peccati originalis in se seu radicaliter, sed per auxilia spiritualia confortando animum ad superandam debilitatem ex peccato illo contractam, infantes vero nō sunt capaces huius remedii, vt per se constat. Sanitas autem corporis non est effectus primarius, sed secundarius huius sacramenti, qui cessat cessante primario: vnde propter illum solum non est dandum hoc sacramentum.

Hoc sacramentum tantum dari posse baptizato

Trident.

Infantes non esse capaces huius sacramenti.

Obiect.

Solutio.

Solum hominem viatorem esse capax huius sacramenti.

Dionys. Areop.

Aliud cōsolariū.